



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Machvmetis Saracenorum principis, eiusque Svccessorvm
Vitae, Doctrina, Ac Ipse Alcoran**

Bibliander, Theodor

[Basileae], März 1550

VD16 VD16 K 2586

Ioannis Lodouici Viuis, de co[n]ditione uitę Christianorum sub Turca,
libellus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-97854](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-97854)

adeò nobis omnia bene disposita sint, ut nò tantū uirtute, armis ordine, machinis æreis, atq; alijs huius generis rebus, Turcis nò cedamus, sed ne numero quidē militū multo illis inferiores simus. Cæterū nonnulli sunt qui existiment Turcā, si ipse aut Austriā, aut Italiā inuaderet, in fugam uerti facilius posse, quàm si Christiani in Turcicas prouincias profecti, eo loci ipsum adorirentur, ubi post longorum itinerū labores, etiā cōmeatus inopiā sustinere fortassis cogerent. Et hæc quidē opinio forsan nò aberraret à scopo, si Principes Christiani adeò unanimes essent, ut ad primū ipsius Turcæ aduentus rumorē, ualidas ad resistendū uires in unū colligerent. Sed sperare uix possumus hoc futurū. Nā nullus unq; sibi persuadebit Turcā aduentare, quousq; tādem adeò propinquus extiterit, ut omnis ad re sistendū apparatus, serus ac frustraneus futurus sit: quæadmodū in Rhodia, Belgradēsi, ac Budensi expeditionib. cōtigīt. Qua de causa qui rei bellicę peritiores sunt, arbitrantur, certius ac securius in inferendo hostib. quàm in excipiendo ab eisdem bello uictoriā consistere posse. Bellū enim qd nobis inferat ab alijs, ut periculosissimum est, ita Deus summopere orādus ne huiusmodi nos, inuoluat. Porro q̄ tempore de suscipienda in Turcas expeditione, plurimus sub Leone Papa x sermo erat, Ducum quorū dā primū nominis iudiciū fuit, ut ea nò nisi ualida ac triplex susciperetur: nimirū in hunc modum, ut Maximilianus Cæsar, Germania, Vngariæ, Boemiæ, ac Poloniæ uiribus comitatus, Seruiā uersus secundū Danubiū iret. Franciscus uerò Francorum Rex, ingenti exercitu ex quacuncq; ad bellū disposita natione cōscripto, ex Apulia in Epirum trañceret, ac fauore populorū illorum, qui Turcis alioqui infensissimi sunt, adiutus progredieretur quò bona fortuna iter ostendisset. Rex autem Angliæ, Lusitanis, ac totius Hispaniæ uiribus, nec nò Venetorū triremibus adiutus, Hellespontū uersus nauigaret, castellisq; quos dardanellos uocant, expugnatis, rectā Constantinopolim peteret. Futurum enim arbitrabantur, si res Turcica, uel in uno tantum istorum trium laterum debilitaretur, ut Christiani postea uictoriā integrā adipisci facile ualerent. Sed quemadmodū summæ difficultatis erat, Christianorū uires omnes, ac peculiariter ipsos etiā potentiores Principes in unum colligere: sic Dei uoluntate est actum, ut omnia tunc in nihilum redigerentur, quo huiusmodi Turcarum debellandorū occasio trāquillioribus temporib. adeoq; tuæ maiestati iam adulectę seruata, eam ad summum fastigium ueræ gloriæ, ut suis innumeris uirtutibus mereret, extolleret.

FINIS.

IOANNIS LODOVICI VIVIS DE CON-
DITONE VITAE CHRISTIANORVM
sub Turca.



EST inter Christianos homines odiorū atq; inimicitiarū tāta acerbitas, & tā cæca rabies, ut ea multi mortales perciti atq; acti præcipites, nihil dubitēt in se ac alios pessimè cōsulere, & in eas uoragines se ac suos omneis, uel uotis ac desiderijs, uel etiam quatenus possint re ac opera conijcere, unde nunquā deinceps emergant. Optant alijs non unius aut alterius hominis cadem atq; interitum, nec inimicitias inimicis concludunt, sed populorū, ciuitatum, nationum gentium cladē læti ac libentes spectarent. Alij nouationib. rerū student, & cuperent non solum principem mutatū, sed Turcam, aut impium aliquē regem, & à nostra pietate nò tantū uita et actionib. ed nomine quoq; ac p̄fessione abhorrentē. Ad quā tā impiā ac nefariā animi libidinē uarij uarijs de causis rapiunt, Sūt qui hoc cupiāt, qd sub Christiano

Victoria in inferendo quam excipiendo bello certior.

Belli Turcis in ferendi optima ratio.

Dardanelli.

stiani principe (Christianos hic de nomine ac p[ro]fessione n[on] cupo) sub tali ergo
 rege durā uita & intolerabilē transigūt, pressi uel à rege ipso, uel ab alijs qui-
 bus rex publicas administrationes cōcredit ac cōmēdat, uel ab hostib[us]: quos
 ille in se lacessiuit, quū illis à finibus ditionis suae arcēdis par nō esset. In quo
 utriq[ue], & princeps & subditi, nō mediocri flagitiū admittūt. Ille quidem, qui
 muneri suo nō satisfacit, & patrē professus, hostē praestat, causamq[ue] eiusmo-
 di querelis praebet. Christianus uerō priuatus etiā culpādu[s], qui ita rerū ui-
 tae huius cura & cogitatione à cursu cœlestiū reuocatur, ut suā & aliorū quie-
 tem inturbet. Vnus est finis, quō omnes tēdimus, nēpe felicitas illa semp[er]
 10 terna. Vna uia, quā ingrediēdū, uera pietas. Quātulū refert, modō ab hac uia
 nō depellāre, quid extra illā fiat? quid prauus aliorū atq[ue] incitatus animorū
 tumultuetur impetus? Quā parū refert Christiani hominis tā exigūū atq[ue]
 incertū uitae curiculū, sub q[ui] principe decurrat, modō ut metā possit pertin-
 gere, quō cōtēdit? Viatores uidemus paulo prudētiores ac moderatiōres, ut
 te omnes molestias, et uisū ac perpellū indignissima siue in diuersorū, siue
 in uia ipsa, tacitos pretere ac deuorare: in id modō spectātes ac intētos, quō
 p[ro]fectionē destinarūt, cultu modico, ac interdū sordido, splendore illo atq[ue] illa
 dignitate deposita, qua sunt in patria, ferūt excludi se, extrudi, nō haberi ho-
 nestissimis hominib[us], honorē, tractari se ut famulos, illā aduersum se exerceri
 20 petulantia, cuius sunt ipsi domi cōcōtores ac punitores. Quid eos qui in a-
 liena regiōe negociant, si quid illis uel à priuatis grauius, uel à principe exi-
 stat, uel etiā à solo aut caelo, quomodo aspiciamus cōcoquere ac pati, & q[ui] in
 statioe perdurare, ne lucri spes abrumpat? Quae Germaniae frigora tolerat Ita-
 li & Hispani, atq[ue] aded Bethyci mercatores: quos Aegypti aut Africa ardo-
 res Galli & Germani: quae tributa, indictiones, duritatē oris, uerba atq[ue] etiā
 interdū uerbera cōtumeliosissima: omnia mollit ac cōdulcorat spes rei augē-
 dae. Quid milites perferunt in castris ob uillē stipē? quid athletae ob uictoriae?
 quātū uenatores, p[ro]pter fera occidendā? Tā ualidē spes aliqua animū omnē à
 praesentiū rerū cogitatioe ac sensu ad se auocat. At uerō, q[ui] nos ita in cura p[re]-
 sentiū rerū immoramur, an nō aperte declaramus, nō ita animū nostrū spe a-
 30 li q[ui] duci premit, ut illorū: alioqui q[ui]to minus illi, de quib[us] dixi, haec praesentia scēti-
 remus, occupati atq[ue] intēti in eā uita, q[ui] immortalis est post hāc mortālē futu-
 ra. Idcirco sacri apostoli, quū uiderēt nō debere Christianū suū cura rerū uisū
 huius intricari, obedire nos rectorib[us], ac praefectis nostris iusserūt, nō solū cō-
 modis & mitib[us], sed asperis quoq[ue] & difficilib[us]: nec parere nos tātū uolunt,
 sed et p[ro] illis orare cœlestē nostrū patrē, ut sapiēter populū regāt, cuius admi-
 nistrationi praesint. Id quū disertis uerbis p[re]cipiūt, tū ipsi ac martyres, dein-
 oēs praestiterunt. Cypriano Cēsario quum esset tanq[ue] crimē obiectum à praefec-
 to, q[ui]d in Cēsare cōiurasset, respōdit: Longissimē absumus nos Christiani
 40 ab ista culpa, qui Cēsari, etiā aliā sacra, alios deos colēti: tamē quia princeps
 est noster, bene & cupimus, & precamur, & rogamus Deū nostrū, ut mentē
 illius ad cogitationem uerorū honorū adducat. Nā quid potest tātū princi-
 pes eripere, q[ui] nō maius sit, q[ui] odium, q[ui] res turbat, & auocatio à religione eri-
 piat, ac tollat: siue bona inter se diuersorū generū cōferant, fortuita cū corpo-
 reis, aut animorū, siue etiā generis eiusdē. Alij speciē sibi q[ui]dā cōfixerūt stul-
 tā libertatis, ne nominatā quidē in uetustis Romanorum ac Graecorū monu-
 50 mentis, nedū expressā, ut cuiq[ue] impunē liceat q[ui]tū libeat: q[ui] quū sub Christia-
 no cōsequuturos se desperent, ideo uel Turcā mallent: quali is benignior sit
 in largiēda libertate hac, q[ui] Christianus. Quid tu dicis? Sita uerō est in hoc li-
 bertas, q[ui] nihil ad publicū bonū a[er]ario ciuitatis pendeas, uel principis fisco?
 quōd penitus sublata sint uectigalia: magistratus uel nulli uel auctoritate de-
 bilitata prorsum & imminuta, ut à priuato nō differat: q[ui] impunē liceat cui-
 uis malē

Pressi à suis
 principibus
 Christianis.

Magistratus
 bedendum, ai
 uinitus consta
 tuto.

Libertatis spe-
 cies.

uis malefacere: Vbi uisa est libertas hec: quando audita: quis populus, que res pub. uel punctū posset tēporis in tali libertate cōsisteret: an nō si omnia omnibus licerēt breui fieret, ut nemini liceret quicquā, & p̄ principe uno excluso sexcenti nascerent postridie: nec esset ullus, qui se nō in illius reponi ac collo cari sedē uī, armis, cæde omniū peteret ac cōtenderet: Cedō, q̄d tandē tēpus uolūt uel Athenis signare, uel Sparte, uel Romæ, in q̄ maxima uiguerit libertas: Nullū inuenietur tā solutū ac liberū, in quo nō magistratus, leges, forū, iudicia, pœnæ, præmia ualuerint, in quo nō uectigalia fuerint: transeo, quum non solū æs, uel argentū, uel aurum rei erat publicæ impendēdū, sed sanguis quoq; ac uita uolenti nolenti, quod contingit uel sub florentissima libertate, 10

Libertas quid. Cōtra potius ea existimat libertas summa, legibus ac legitimis magistratib, quietē obtemperare, & bonos se ac moderatos præbere ciues, uoci legū aut magistratuū præstō esse, & imperijs prōptē ac alacriter parere. Imō uerō hec una est libertas uera, ut uelis bene uiuere, hoc est animi uitijs uacare, & impotentissimis tyrannis animi motibus ac cupiditatib, nō seruire: que sola est seruitus, ut nec reges ipsi dici possint liberi, quādiu his obsequunt. Proxima est libertas, quæ ex priore illa deriuat ac deducit, quietē & pacatē legib, ac magistratib, tanq; publicis parētib, obedire: qui, sicut est in mimo, amādī sunt, si boni: sin aliter, ferēdi. Nā malē, & per alienā iniuriā uiuere, libertas nō est, sed effusissima atq; effrenis quiduis agēdi licētia, & flagitiorū ac scelerū impunitas. Quidā se nō putāt satis liberos, nisi quiduis in quēuis liceat, sublati legibus, summoto metu pœnarū omni, & reuerētia magistratuū. Alijs ob oculos uana quædā obuersat imago libertatis, quæ animas imprudētes in errorē ad ducit: quæ q; nō solū cū chartis exoleuit ac computruit, sed nulla potius ullo fuit tēpore, ullo in populo: nec ipsi qualis sit, satis scirent explicare, etiā si maximē uellēt ac conarent, tātū se libertatē clamāt cupere. Euoluāt uerō, legāt rerū ueterū monumēta omnia, inueniēt nulla esse nūc tā dura, aspera, difficilia tēpora, quib, nō peiora atq; intolerabilia fuerint Romæ, nō modō sub Cæsarib, q̄rū uix unus atq; alter nō importunissima fuit bellua, sed sub ipsius cōsulibus. An huc adducā ciuiliū bellorū nomina, Antonios, Octauios, Brutos, Cassios, Dolabellas, Hircios, Pansas, Cæsares, Pompeios, Marios, Syllas: 20

Libertatis uana species aliquot.

adde his Gracchos, Fuluios, Carbones, Saturninos, Glaucias, & aliā turbulētorū ciuū manū. Quid: iuuabat ne aliquē illis tēporibus Romæ uiuere, aut omnino natū esse: ut mortuorū cōsolationes inde peterent, q̄d tā miseris esse absumptos tēporibus, felicitatis & maximi cuiusdā bñficij loco deberet deputari. Sic Sulpitius cōsolat Ciceronē, sic Cicero mortē L. Crassi, et Q. Hortēsi oratorū. sic Cato habitus est felicissimus, q; eo modo ē uita exisset, atq; eo tēpore. Si quis superiores etates memoria repetat, inueniet pauperē populū exiguū pepēdisse uectigal, sed ex facultatib, exiguis, ac p̄pe nullis: stetit tamē in acie noctes ac dies armatū, ferentē labores ac pericula militiæ, quū stitendū numeraret malignissimū, diu nullū, ita ut mergentib, se in sortē uisuris, corpore et sanguine crudeli esset fœneratori satisfaciēdū. Deniq; nō opus est ambagib, quid fuit alia Romana respub, nisi tacitū q̄ddā regnū nobilitatis in plebē: An Athenas libet inspicere: nō placebūt, nihil fieri potest turbulētius illo populo, nihil leuius, nihil ingratius, ut nulli essent infeliciores, q̄ qui uel aliqd ad cōmunes & publicas utilitates cōtulissent, uel qui in signi uirtute aliqua & laude præstarēt. An placebit Sparta, etiā gētilib, sapientib, improbata: ut Platoni & Aristoteli: cōsensus quidā ad bellū, & durā inhumanitatem. Quæ est ergo libertas hec, quā ipsi nec optādo & cogitationib, talē possent fingere, ut ciuitates, & hominū coetus ac cōmunio cōstare cum illa posset ac perseverare: Sunt, qui quorundā principū aut nationum odio, malint Turcæ, &

Romana respublica tyrannis.

est ambagib, quid fuit alia Romana respub, nisi tacitū q̄ddā regnū nobilitatis in plebē: An Athenas libet inspicere: nō placebūt, nihil fieri potest turbulētius illo populo, nihil leuius, nihil ingratius, ut nulli essent infeliciores, q̄ qui uel aliqd ad cōmunes & publicas utilitates cōtulissent, uel qui in signi uirtute aliqua & laude præstarēt. An placebit Sparta, etiā gētilib, sapientib, improbata: ut Platoni & Aristoteli: cōsensus quidā ad bellū, & durā inhumanitatem. Quæ est ergo libertas hec, quā ipsi nec optādo & cogitationib, talē possent fingere, ut ciuitates, & hominū coetus ac cōmunio cōstare cum illa posset ac perseverare: Sunt, qui quorundā principū aut nationum odio, malint Turcæ, &

cæ, & cuiuscunq; principi barbarissimo subijci, quàm illis: ut Itolorum quidam,
 quorum Gallum alij, Germanū alij, alij Hispanum tam infense oderunt, ut ma- *Principis aut
 nationis oso-
 res.*
 lint centies mori, & quod morte est peius, indignissima & nefaria cuiusuis impe-
 rata facere, quàm sub illis uiuere. Si meminerunt cladum Italię, res quidē est acer-
 ba, & profecto deflenda. Sed an non plures atq; atrociores ipsi olim toti huma-
 no generi intulerunt? Ignorant has esse rerum humanarū uices, ut uictor uinca-
 tur, & patiatur inuitus ac gemens, quæ aliquando fecerat lætus ac exultans? Ro- *Roma capta.*
 ma est capta & expilata, graue sanè & odiosum bonis omnibus. quis enim uellet
 id factum? ne ipse quidem Princeps, cuius auspicio res putatur gesta. Sed redu-
 cat Roma in mentem ac recordationē, quot ipsa urbes ceperit, expilarit, incen-
 derit, diruerit, solo æquarit, non modò tecta & populum, sed uestigia quoq; de-
 leuerit ciuitatum uetustissimarum. Quid idem ipsi Itali? quomodo matrem suam
 Italiam tractarunt? an humanius & mitius, quàm exteræ istæ nationes? an uetera
 nomina iterum commemorem, Marios, Syllas, & huiusmodi: nunc in ipsis istis
 cladibus, quarum memoria recentissima est, & sensus adhuc urit, an non sæuio-
 ra multo ipsi designarunt Itali in Italiā, quàm Germanus, aut Hispanus, aut Gal-
 lus? At oderunt gentem, cuius sentiunt incommoda. Putant ne talē se eam gen-
 tem in amicos, & iunctos, uel ditione, uel fœdere præbituram, qualem in hostes
 armatos, aut hostium ciuitates atq; agros? aliam sentient amicam, quàm inimi-
 cam. non tales experiuntur Neapolitani Hispanos, quales Insubres, Neapoli sta- *Principem exa-
 traneum non
 pati, nimis de-
 licatum.*
 tur legibus, habent ciues cum peregrinis, cum militibus idem forum, eundem iu-
 dicem, omnibus ex æquo ius dicitur, secundū leges & iura, inter hostes nulla pu-
 tatur legum communio: licere in eos credunt, quicquid iubeat. Principem uerò
 non posse pati extraneum, nimis est delicatum, ne dicam insolens, quum & olim
 mundus tam diu passus sit Romanos magistratus, & in unaquaque natione sci-
 mus res collapsas & propè perditas, exteri principis cura esse ac prouidentia ere-
 ctas ac restitutas, in Hispania, in Germania, Britannia, Gallia, in ipsa eadem Ita-
 lia. At qui ab extero tantopere abhorrent, cur ipsi accersunt, non futuri mox ac
 cito pares? & si Hispanum, uel Germanum, uel Gallum sic fastidiunt & oderūt,
 cur Turcam & Scytham extremæ feritatis ac barbariei non abominantur, diffe- *Christiani so-
 lum nomine.*
 rentibus, diuersis, contrarijs moribus, lingua, commercio, religione? Non de-
 sunt, qui Christiani dicuntur, non amore pietatis, aut etiā professione uitæ, sed
 tantum uelut quodā cognomine, quod nati sint inter Christianos: haud aliter,
 quàm dicerentur uel Romani, uel Carthaginēses, uel Scipiones: tam facile, tam
 libenter cuiuscunq; superstitionis & impij deorum cultus futuri, quàm san-
 ctæ religionis nostræ. Ad istos tam deploratos, seu uerius deplorandos, longē
 esset repetenda oratio, ut qui ad humanum essent sensum mentemq; reuocandi:
 à qua tam longē recedit quisq;, quàm à religione: sine qua, si quis acutè rem ex-
 pendat, non est homo, homo, sed bellua. Itaque multo alia his opus esset oratio,
 seu pharmacum uerius. Nam quemadmodum Circe illa pharmacum habebat, *Circes pharma-
 cum.*
 quod humanæ faciē ac naturæ redderet, quos ipsa eadem pharmaco alio ex ho-
 minibus bestias fecerat: ita malitia hominem in belluam mutauit, conuertit rur-
 sum in homines ratio ac religio. Non intelligunt infani isti, si hic humana o-
 mnia consumantur, nihil penitus inter hominem interfuturum & bestiam, nisi
 quod bestia simplicius cōformiusq; ad naturam uiuit, hoc est felicius: homo uerò
 maiore malicia, ac proinde rerum cura obruitur ac premitur, id est miseria perē-
 ni. Quæso num etiā si optio daretur, eam eligerent conditionē uitæ, ut omnia
 cum corporibus interirent? Sed hæc opinio, quæ non solum animę uitam eripit,
 & eam, sicut Cicero infectatur, tanquam capitis damnatam morte multat, uerū
 etiam

etiam religionem extinguit, & Deum de cœlis ac mûdo detrahit, maioribus est à me aliquando uiribus aggrediēda: & quod de Christi auxilio spero ac confido, penitus extirpanda. Interea autē omnes, quibuscunq; aliquid in animo restat honesti ac boni respectus, attendant. Quum adhuc ferueret sanguis Christi, & firma esset constansq; Christianorum hominum fides, et proinde religio pura atq; incorrupta, nihil erat utilius Ecclesiæ, quam agere sub principe impio, à pietate nostra sententiâ abhorrente, professione hoste. Nam in fide tam solida & tam altè radicibus immixsis, non erat periculū, ne quis ullo metu perterrefactus, aut uoluptate delinquitus, aut spe illectus nutaret. uincebat omnia, superabat, prosternebat, conculcabat ualidissimus cunctorum adfectuum amor: nec aliter minas, terrores, uerba, tormenta, cruciatus, mortem, fides charitate sulca atq; adiuta excipiebat, quam marinos fluctus, & tempestatem impactus scopulus aliquis uetus, rupis durissimæ: ut ita infigi ac confirmari fides uideretur, quemadmodū stipis aut saxū festuca percussum. Ergo altius acta sunt per martyrium fidei nostræ fundamenta, quicq; icctus eò putabantur infigi, ut luxarent & reuellerent, harentem ac fixum stipitem altius demittebant. Nulla in terrâ decidebat cruoris martyris stilla, ex qua non centū Christiani uiderentur surgere: adeo erat efficax sanctus ille cruor, qui exemplo principis & auctoris sui, pro ipso eodem libenter fundebatur. Iam ad permouēdos saxeos illos et ferreos homines, quam erat illud ualidum, uidere constantiam profitentiū, ut durum duriore frangeretur, intueri robur humano maius, planè cœleste, & diuinitus adiutum: Philippus Vostrensis princeps Romanus, ad annum v. c. millesimum, Christianum nomen magis est professus, quam præstitit pietatem. Insecuti nihilo secius principes, idem in nomen Christianum exercuerunt odium, quod superiores Decius, Diocletianus, Maxentius, & alij. Primus bona fide baptizatus est Constantinus. Fuit dies ille, nescio, an tam Ecclesiæ prosper, quam multis forsân uideri posset. Certè D. Hieronymus in uita Malchi monachi, non perinde uidetur esse illo factò lætus. Cessauit enim martyrium, id est fidei coticula, accensio charitatis, fundamentū ac robur totius religionis: securitas illa peperit negligentiam & obliuionē maximarum uirtutum, non minus quam longa & certa pax ociosis militibus desidiam atq; ignauiam. paratior erat quisq; in præfenti, aut certè impendente periculo, quam nunc sumus metu sublato. Nam etiā num in tam alta hac securitate adituri pericula aliqua, uel naturæ, uel casuū: ut intraturi mare, aut præliū, aut euidentis aliud capitis & uitæ discrimen, sanctius nos gerimus, & paramus nos diligentius diuini iudicis examini, quam quum lautè accumbimus frequēti & lato conuiuio. Ingressus est princeps Ecclesiam, non ut uerus ac planè Christianus, quod fuisset sanè felicissimum & optandum: sed inuexit secū nobilitatē, honores, arma, insignia, triumphos, supercilia, fastum, superbiam: id est, uenit in Christi domū comitatus diabolo: & quod fieri nullo modo poterat, uoluit duas domos aut duas ciuitates coniungere, Dei & diaboli, quod non magis potuisset efficere, quam Romā & Constantinopolim: quæ tanto & terrarum & maris tractu separantur. Quæ communijsio Christi ad Belial: inquit Paulus. Refrixit paulatim ardor, nutauit fides, degenerauit tota pietas, cuius nunc umbra atq; imaginibus utimur, easq; (ut ille dicit) utinam retineremus. Sed quemadmodū dies ille Constantini tristis pietati fuit, & dolendus: ita ille acerbissimus, nefastus, aterrimus illucebit, quisquis nunc his moribus & hac uitæ ratione populū aliquem Christianū ditioni subdet uel Turcæ, uel principis cuiuscūq; à pietate nostra nomine alieni, ac professione: imò uero non illucebit, sed perpetuas tenebras & noctē inferet. Vos qui immunitates, qui libertatis nomina tanti facitis, reputare decet, uos omnes Turcæ non alio futuro.

Martyrij momentum ad firmandam fidem.

Primus Cesar Christianus.

Constantinus.

Ecclesiæ quæ mala per Constantinum inuectæ.

turos loco, quam pecudes, quas ad utilitates modò & fructus suos alit, nò ad participatū ullū commodorū, honorum, non deniq; earū rerum quæ communes sunt ciuibus inter se: quū illi non simus futuri nec ciuiū numero, ac ne hominū quidē. Non patere nos augeri opibus, potentia crescere, uigere honoribus, pollere dignitate, incrementa nostra omnia haberet suspecta, inimicus nobis lege, inimicus professione, inimicus odio, & suo & auito, nec ulla se nobiscū crederet deuinctū lege, nullo iure, nò fœdere, nò cōmunionē, non humanitate & natura ipsa omnib; cōmuni. Quicquid ipsi liberet, existimaret licere oportere, & iure uictoriae, & quod nò cēseret ulla esse leges, ullū iustitiam, nullam fidem, qua soluti affectus possens alligari, aut uehemētia impetus retardari ac impediri. Nam qua fide uictoriā exequatur, testes sunt Rhodiani milites, qui nisi se maturē subduxisset, crudelissimo illos dolo statuerat oēs intercipere. Sed nec ad ipsos suos populares et eisdē initiatos sacris meliore uti fide. Victo & capto Sulthano, Mamelucos paratos se defendere, quū in fidē accepisset, uniuersos cōtrucidauit. Id quū ausus sit nò sine aliquo populi sui cōsensu, quid eū facturū in nos censemus, secundo suo populo & applaudenter? Quod si ipsi eidē mitius aliquē nostrū aut honorificē placeat accipere, aut uix liceret ei inuidia suorū, aut nobis acerbissimus esset is honor, tanta inuidia infectus ac cōtaminatus. Nā quocunq; aliquis nostrū receptus esset loco, ab eo se exclusū eiectumq; uir Turca interpretat. Cui nò dico principī, aut Bassano, sed Genuisaro, uel satelliti, uel gregario militi nò liceret, quicquid esset collibitū in nos, in liberos, in uxores, in fortunas nostras? Quid nī? nēpe hominib; in canes, illorū opinione. Vtinā huius rei non tā acerbū haberet Christianus orbis exēplū, & hęc potius cōiecturis, a nobis fingerētur, quam tristibus ad eò experimētis. An ulla gēs, aut ullus omnino hominū tam extremā est seruitutis aliquando conditionem passus, quam nunc patitur inclyta illa & ingenijs, & literis, & armis Gracia? quod mācipiū miserius seruit, quam illa Gracia: quæ olim pro solo libertatis nomine tantū effudit sanguinis, tantū armauit militū, qui ad certissimā atq; indubitātam mortem ire nò dubitarēt pro libertate? Ut nūc nullus in tāta regione nascatur ingenio paulo liberiore, aut impatienti seruitutis, qui nò primū omnī Graciā sibi relinquendā & fugiendā ducat, uelut ergastulum ultimæ seruitutis: in Italiam se aut in alias orbis partes conferat, magnū secum quocunq; eat, circumgerens documentū, quid patiendū sit uiuentibus sub Turca. Hęc cū ferrent uiri fortes, armati bellatores, & iactatores libertatis? Hęc parati sunt perpeti, qui pati nò possunt indictionē aliquā extraordinariā Christiani principis, aut syluam, uel aquulā, uel piscem, uel leporē ex publico priuatū fieri? O quam cæcis oculis ista intuemur? & dū presentī cupiditati seruimus, nihil cūctamur in apertos malorū gurgites nos immergere. Tu ergo ut lenticulā aut intertriginē sanes, hauris uenenum: & quia parū acutē cernis, utrumq; tibi lumen extinguis? Quid porrò principes? An putant uerò, si sub illius ditionē ac potentia uenerint, etiā si initio sedulò dissimulet, & amicorū eos ac sociorū nomine digne, nò eū tamē paulò mox ut inualuerit, & uires cōfirmarit, ad morē suū patriū reditū? ut nemo pedē unum terræ possideat, quē possit suum dicere: omnes serui ac mācipia illius & sint & nominentur, & cui cunq; impurissimo carnifici ab eo missō præbēda sit ceruix, sine ulla detractione aut cūctatione, si dominus iubeat? Vbi tum erūt feroces isti ac teneri, qui ne uerbulum quidem affinis aut propinquū possunt perferre? Erit hęc dura quidē, sed tamē iusta Dei ultio, ut qui Christianū parem, & fratrem suū nò

Qualis uita nostrorum sub Turca.

Fides Turca nulla.

Gracia hoc seruitulo seruitus misera.

n n tulerit,

tulerit, extremæ conditionis seruitutē sub crudelissimo domino seruiat. Dicent hic mihi nonnulli ex his qui sanctitatis opinionē affectāt, honores, opes, decus, dignitas, uitæ cōditio, carnalia sunt omnia: ualeant, Christianis nō curanda. Valeant sanē per me, atq; utinā iam pridē iussissemus hæc ualere: quæ si non tantoperē in nobis inualuissent ac infedissent, nemo inter nos de Turca loqueret. Sed agedū excutiamus spiritalia. Erit ne adeo spiritalis quisquā nostrum, tā obfirmato atq; obturato animo ad sensum rerū omniū uitæ habitus, qui perpeti ac tolerare possit, qd est Græco quotidie deuorandū: obijci nobis, ut crimen atq; ignominiam, nomē hoc Christiani, quo tantoperē iure gloriamur? Poterit audire tot blasphemias, tot maledicta, tot conuicia nominis CHRISTI, & dei omnipotētis? Quod si quis inter illos uel uerbū unū per imprudentiā cōtra Mahumetē miserit, uel uita sit ei, p̄tinus, uel religio amittenda, ē uestigio enim aut moriendum est illi ipsi, aut ad eam ipsam sectā trās eundū cui maledixerit. An nō plerisq; omnibus, si hæc uiderēt, animus haud aliter accenderetur, q̄ Mathathie Maccabæor: ut occiderent & Iudæum idolo sacrum facientem, & id fieri iubentem gentilem. Quid illud omnium grauissimum & acerbissimū, abduci liberos paruulos in remotissimas regiones: ut ibi abnegato CHRISTI nomine, & tota pietate in obliuionē missa, seruiāt domino spurcissimo ac impio. Quis id nostrū perferret? quis nō mallet mori millies, quā id uidere, uel etiā audire? Neq; inter hæc audēt Græci filios suos obiurgare, reprehendere, castigare flagitia, formare ad uirtutē & studiū honesti, uirga & flagris quū res poscit admonere disciplinæ, ne illi irritati, ad Turcas se conferant, et hoc filij audent parentibus minari: a quibus Turcis si quis sit semel receptus, nulla uī, nulla ope, nulla arte potest unde uenerat redire. Et quū inter animātia omnia solus homo scelere suo corruptus à natura sua discesserit, quia & à deo, fit ut si sibi relinquat, nullū animal efferatius eua dat, nullū magis barbarū atq; in compositū, nec ulla fera bellua tā sit immanibus moribus & inhumanis, tam belluæ similis, ac homo. Quales ergo illic adolefcere atq; educari pueros est credibile, solutos, estrenes in licētia atq; impunitate uitiorū omniū, semota disciplina? Quæ potest in eiusmodi animis esse pietas? lam religio mirabiliter efflorescit, studijs adiuta sapiētiæ & bonarū artium, quibus eruditus atq; excultus animus acutius recōdita diuinę sapiētiæ mysteria intuet: nec remotus est ad diuina gradus cognitio atq; exploratio rerū humanarū & mūdi huius cuius notitiā corporis sensib. capimus, atq; usurpamus. Apostolus Paulus inuisibilia Dei per uisibilia cognosci ait. & primā Abrahæ cogitationem accessumq; ad uerū atq; omnipotēs numen adorandū ac colendum ex astris illi, ex cœlis, ex ordine & constantia mundi esse ortam, autor est Philo Iudæus, is qui de mundo scripsit: ut nō iniuria uideat dixisse Psalmista, cœlos enarrare gloriā Dei. Nec alia maior est superstitiōis ac impietatis causa & occasio, q̄ ignorantia. At studia humanitatis, id est philosophia, & reliquę ingeniorum atq; ingenuę artes, ut honore uelut gratissimo quodā & saluberrimo fauonio exhilaratę, flores ac fructus fundūt: ita cōtemptu aut etiā neglectu flaccescunt, ac emarcidæ collabunt. Græcis aut Romanis rerū potiētibus, magni sunt in disciplinis omnibus p̄gressus facti: sub Gotthis et Barbaris illis ac feris dominis ita elanguerūt, ut parū admodū ab fuerit, quin uitam omnem penitus ac spiritum exhalarent. Quam tenues, q̄ inualidas earū reliquias patrum etas & nostra accepit? At Turca q̄ alienus sit ab omni cultu animi, Scytha, sanguinarius, q̄ non uel fando audiuit: Sub eo qd sit artium decus, qui uigor, uel ex Græcia discamus, Nisi fortē meliores

Spiritaliū inu-
ria cuiusmodi
sub Turca se-
rende.

Hominum feritas unde.

Disciplinarum
momentum ad
pietatem.

Philo Iudæus.

Ignorantia.

Turca barba-
ries.

nos putamus fore, aut pollētiore ingenijs, magisq; factos atq; aptos ad literas, aut natura & nutu quodam ingeniorum magis ad literarū itudia propensos Græcis: à quib. artes ac disciplinæ omnes, cultusq; & ornatus ingeniorū & natus est & auctus, & in cæteros omnes mortales propagatus. Si ille pristinus, qui iā olim ardor deseruit, adhuc in nobis duraret, fortassis credi posset piē uicturū Christianū sub Turca. Sed quū uideamus inter nos plena & florenti ecclesia, propter nummū unum cēties peierari nomē Domini, ubi peritū nō solum à diuino iudice parata est spiritalis animaduersio, sed etiā ab humano corporalis: quid futurū abitratur, nō nummo uno, sed tanta merce de proposita cōmissi: Et qui sub Turca cōtra Christianos, cōtra patriā, cōtra penates, cōtra religionem meret ducato uno: an nō religionē ipsam deseret, & se abnegare profitebitur, si is iubeat, aut se cupere significet, propter decē? Quid ij qui hic inter nos de fide sunt dubij: nū illi nō leuissimo momento impulli deficerent? Nec illi ipsi qui nunc sunt firmi ac constantes, fortassis stabilitatem illā suā perpetuō possent cōseruare. Quantū putamus cōtagij ex dubijs & incōstātis fidei Dei hominibus ad sodales, ad uictores, ad familiares, & eos quibus cū uersantur & colloquuntur affricari ac harere? Non minus atq; ex putri a liqua ac foeda scabie. Cui non iniiceret scrupulos, illa tam frequens dubitatio, inquisitio, examinatio, altercatio, præsertim accedēte in partes diaboli ueteratoria astutia & fraudibus: Nā si in reb. quæ corporeis sensibus exposite sunt magis atq; obuię, quā ea in quib. sita est fides pietatis humana cauillatio aliquid semper inuenit quod cōuellat, quod luxet, & præstigiæ sensibus nostris fiūt, ut ueritas sepe obscuret ac cogatur latere, nō id qui dem rerū uitio aut magnitudine luminis nostrorum ingeniorū, sed tenebris atq; hebetudine mētis nostrę, ut meritō ille dixerit, Nimum altercādo ueritas amittitur: quid futurum est in religione, in ea quę sensum omnē humanū excedit, quæ est substantia rerum sperandarum, argumentū nō apparentiū: Fortior quidem Deus diabolo, & omnium ueritas fortissima: sed nos quia à Deo ad diabolū defecimus, quæ à partibus nostris uidētur stare, facillimē recipimus, agrē quæ faciūt, p̄ diuinis, pressi hoc carnis pōdere, quæ nutu suo ad ima nos dehincit: id est, à cœlestibus ad terrena, ut magno conatu sit opus, quo tā onusti cliuū hunc ascēdamus, quū ultrō per pronū delabamur. Adfert tēpus ipsum ueritati splendorem ac lucem, & ipsa ueritas postea quā diu latuit, emergit tādē: fateor. sed interea, dum tēpus cunctatur, dū illa emergit, nos immergimur, ac perimus. Postremò, quum hic inter nos, ubi incitāmur monitis, autoritate sapientū, exēplis bonorū deterremur ab impietate, ignominia, dedecore, foro, iudicijs, pœnis, nihil uel uideamus uel audimus qd ad impietatē aperit ac palām adhortet atq; impellat, aut à uirtute, pbitate, pietate auertat atq; arceat, respectū tamē CHRISTI inter postrema posuerimus: nūquid si in uersa sit uitæ et rerū ratio, nō potiora erunt nobis, quæ iā nūc priora esse quā pietatem existimamus? Quid iam ergo est reliquū, qd furiosū homines, perditū, desperatū, cōsecuturos se sub regno Turcę sperent: nō opes, nō honores, nō dignitates. Quis enim hæc canib. cōcedit, cuiusmodi nos illis erimus? Libertas quę esse poterit sub tali domino, imò sub talibus dominis: nobis præcipuē: quū nulla sit eius popularibus, eiusdē gentis, et heredis: Literarū nulla erit cura, nulla mētio, pietas in periculo. Quid restat: ut noua aliqua rerū natura cōdatur, cuius boni insani isti sub Turca perfruant: Quod si quis adeo sit forti atq; audaci animo, ut cōtemptis alijs rebus omnibus, pietatem tamen se sub impio rege conseruaturū cōfidat: id tamen nō de

nn 2 her alijs

Qui tales sumus sub Christianis, quales erimus sub Turcas

Dissensiones in religione

bet alijs optare ac procurare, de quorū cōstantia ac firmitate nihil habet exploratum. Sedet ipse. Qui sibi nūc uidetur stare, ne se efferat animo, iuxta monita D. Apostoli: sed circūspecte agat, metuens casum. Nō est omnino committendū, ut tentemus, ut uelimus, ut optemus experiri, qualis illa futura sit uita. in tantā tentationē morum ac pietatis, nullo penitus modo, quātum prestari à nobis possit, nō debemus sinere ut inducamur. Nā & illis quos confirmaturus & corroboraturus erat ille spiritus, cui pares nō sunt mundi uniuersi & totius naturæ uires, præcipit tamē Deus, uigilent, orent, ne inducant in tentationem: incerti utrum in ea pugna occumbent, an euadent incolumes. Quāto id est nobis omnibus magis orandū, tanto infirmioribus, omni amicorū robore ac uiribus deserti ac destituti: Precibus est hoc contendendum & omni arte, ingenio, ope, uiribus connitendum: cauendumq̄, ne tanta perniciēs & tam præfens malum contingat.

FINIS.

QVIBVS ITINERIBVS TVRCI SINT

AGGREDIENDI, FELICIS PETANCII CANCEL-

larij Segniæ ad Vladislaum Hungariæ
& Boemiæ regem.

LIBELLVS.



ACCEPTIMVS, serenissime rex, maiores nostros cū de inferēdo bello cōsultarent, prius itinera quibus tutō in hostes pergerent, multorum & scriptis & documentis accuratius inuestigasse. Qua ex re sæpe cōpertum est, eos fuisse ualidioribus copijs, amplissima regna atq̄ opulentissimas puincias occupasse adeptos. Ea propter operæ præcium erit, maiestatem uestram commonuisse, quos terrarū limites, quas uegentiū regiones adeat, in Turcos expeditionem affectans. Et quāuis decenti & matura persuasiōe ad prouisionem ruinae Christianæ opus esset exordiri prolixioribus uerbis, tamē status perturbatissimus rerū me prohibet, eoq̄ maximē qd maiores nostri, quorū exēplis innitimur, in huiusmodi arduis et mature nauādis rebus impigri ac semper citissimi extiterūt. Igitur dimissis oris maritimis, quæ uersus Asiam nauigantibus patēt, referā qui tramites ex septentrionali plaga in Thraciā & orientem dirigant. Primū igitur ex Pannonia ad Istri & Sauri confluentem, trañcitur in superiorem Mysiam prope Belgradū oppidū, ubi due cōcurrūt uie. Altera superior in Thraciam, siue Romaniam: altera inferior ad Dardanos & Macedones mittens. Sed superiorē uiam sequendo, patētibus campis Godomiri præter celebre fanum Ressaue, regum atq̄ principum illustratum sepulchris, non procul pertransito amne maioris Murauæ, relictisq̄ sinistrorsum agris Bardiloue, per pagū Branicerū pergitur ad Nisum, olim (ut ruinis cernit) ciuitatē peregregiā, nūc instar uici redactā à Turcis & Bulgari habitatā. Adiacet altissimis montibus ex finitimo Rhodope progressis, fluuiio Nisaua, à quo denominatur, magnaq̄ uernalium copia rerū inter alios Mysiæ & Tribalorū pagos cēsetur præclara. Abest à traiectu Belgradi cxxx millibus passuum. Ex ea ascendendo ad uicium Pirothi sitū in montanis, per agrato uasto monis Cunorouice iugo arduo atq̄ difficili, cū ob profunda circum eminentiū rupium cōcaua, tum propter densissimū nemus, longioresq̄ anfractus,

Diuisio itinerū
à Belgrado.

Nisus.

Pirothi uicus.